

1230.

[m. 4.]

se sustentandum in servicio domini regis; quamdiu domino regi placuerit. Et mandatum est eidem abbati quod eidem constabulario de illis quater xx et x libris intendens sit et respondens. Teste ut supra.

Mandatum est baronibus de Scaccario quod sic fieri et inrotulari faciat (*sic*). Vicecomiti etiam Eboraci mandatum est quod ipsum abbatem eas ei reddere permittat, sicut predictum est.

[m. 3.]

De terris et castris Willelmi de Braosa.—Rex commisit W. comiti Marescallo omnes terras et tenementa et castra Willelmi de Braosa cum omnibus pertinentiis suis quamdiu in prisiona fuerit, custodienda ad indemnitatem et commodum ipsius Willelmi et ad respondendum ipsi Willelmo de exitibus eorum quamecunq; a prisiona fuerit liberatus. Et mandatum est constabulario de Bergeveny quod castrum illud cum omnibus terris ipsius Willelmi in manu et custodia sua existentibus, predicto comiti sine dilatione liberet, non obstante precepto regis quod prius fecit de terris et castris ipsius Willelmi, Petro filio Hereberti et Johanni de Monemue committendis et salvo custodiendis. In cujus rei etc. Teste rege, apud Portesmue, xxvij die Aprilis.

Eodem modo scribitur constabulariis:—

de Toten[eis].	de Huntindon.
de Stratmelthin.	da Haya.
de Brechennio.	de Radenor.
de Sancto Claro.	Ballivo de Kingeslen et Erleslen.

De licentia mercatoris.—Bernardus de Salet habet licentiam quod veniat in Angliam, et ibidem moretur et salvo inde recedat, usque ad festum Sancti Michaelis anno etc. xv, cum rebus et mercandis suis.

Hibernia: pro Radulfo filio Nicholai.—Quia castrum de Dunelamein, quod est in custodia Radulfi filii Nicholai ratione custodie terre et heredis Willelmi Pipard, combustum fuit ab Hiberniensibus, et idem Radulfus habet in proposito firmandi ibidem castrum lapideum, concessit rex eidem Radulfo in auxilium ipsius castri firmandi servicium de Mida per xl dies et servicium de Uriel per totidem dies. Et mandatum est R. de Burgo, etc. quod eidem Radulfo predicta servicia per totidem dies in auxilium firmationis castri predicti habere faciat. Teste ut supra.

De custodia terre Anglie.—Rex omnibus ad quos presentes litere pervenerint, salutem. Sciatis quod de communi consilio comitum et baronum et omnium fidelium nostrorum qui nobiscum aderant apud Portesmue ante transfretationem nostram, providimus et statuimus quod, quia dilectus et fidelis noster H. de Burgo comes Kancie, justiciarius noster, in propria persona sua nobiscum transfretabit, venerabilis pater R. Cycestrensis episcopus, cancellarius noster, et dilectus et fidelis noster S. de Segrave intendant regimini regni nostri Anglie; ita quod quamdiu nos et prefatus justiciarius noster fuerimus in partibus transmarinis, predictus Stephanus, loco predicti justiciarii, de consilio prefati domini Cycestrensis cancellarii nostri, disponat de omnibus